

votum nequit dubitari, ut eximium illud fidei praesidium. Ecclesiae propugnaculum, & Romanae Sedis fortissimum brachium, cadat, & ruina sua liberum haereticum campum, in quo possit exultare, tripudiare, regnare, & ut verè dicam, tartarizare, relinquat. Sed non ita Deus tabernaculum gloriae suae deseret, ut triumphet iniquitas; ac bellicosissimis illis nationibus cum Hispano Monarcha federatis, regnum diaboli pessum ibit, quiq; insultabant procacius, redditam sibi pacem animatus gratulati, pro ipsius conseruatione non desinent exorare.

*Patata videbis*

*Sacula, resinctisque animos misere bellis.*  
Sic Christianissimo Ludouico nunc feliciter regnanti, non falsus vates inter ipsa crepundia decantarat, P. Dionysius Petauus Panegyrico 9. vbi quae addit de triumphis ex infidelibus terras, quae olim Christianorum fuerunt, incolentibus, fortunatissime reportandis, vti nam pari sint veritatis oraculo consignata: non equidem inuidebimus, sed gratulatione illos ingenua prosequemur. Iuuabimus precibus, & militari, si opus fuerit, apparatu; sic enim de Regis nostri ingenuitate confido, qui Gallicam iam gloriam, non alienam sed propriam ducit, pretiosissimo pignore stabilis foederis attributo, Serenissima Maria Tereisia Charissima in delicijs filia, & pulchra iam prole parente, tali profecto sponso debita, qualem & praecleara eiusdem decora, & naturae ac gratiae ornamenta singularissima deposcebant. Quae dum cogito hilaritatis ac felicitatis plena, aegre quidem ad ea memoriam & calamum flecto, quae temporibus belli infaustis acta sunt, aut dicta: sed necessarium est auctoris illius maritimi, pacis immemoris, nec Regibus gratificati suis maledicentiae tonitribus, nonnulla explosisse commenta, ut suus veritati locus sit, & Hispanum nomen, quod quantum quantum est, pro Gallicam iam gloriam militat, in officio mendacis nullatenus deturatur.

13 Pergit ergo ille, & Lib. 2. Cap. 20. ita scribit: *Et nisi Portugallia per dolos & fraudes Philippo cum Tangitana Africa provincia, totoque pene Oriente obueneret, &c. & Cap. 21. Cuius regnum Henrico atque Antonio exclusis, qui legitimi haeredes erant, Philippus II. Castellae Rex occupauit. Et Lib. 7. Cap. 7. Venit & in eiusdem obsequium obuersa Europa America (Brigantini) Indiaque Orientalis cum vicinis Insulis, & nunc Ioannes ille Philippo IV. maior, libertatem, quam sibi suisque comparauit, armis & virtute tuatur.* Haec ille, & alia, in quibus egregie mentita est iniquitas sibi. Henricum legitimum haereditem exclusum ait, quem pacifice regnantem vidit mundus; licet non defuerint, qui post Sebastiani mortem Philippo II. jus successione adstruxerint, quod abnuat ille, quia non ita solidis fundamentis subnixum videbatur. Sed minoribus certe alij regna non semel occuparunt. Antonium legitimum haereditem & ipse est inficiatus Henricus, qui virtute Breuis Pontificij super illius illegitimitate sententiam pronuntiauit, in ipsum, & falsos quosdam testes animaduersione decreta. De quo loculenter agit Hieronymus Conestaggus, Patrius Genuensis in Historia de coniunctione Portugalliae cum regno Castellae Lib. 3. Si legitimus ille, non equidem neces-

saria essent tot de successore legitimo quaestiones. Vnde ut jus firmius posset obtendi, ad electionem est populi prouocatum. Qualis autem illa fuerit dixerit Auctores exponunt apud Illustrissimum Caramuelem in suo Philippo Disput. 2. & in responsione ad Manifestum Regni Portugalliae pag. 4. 169. & 179. Ego citati Patrij verba subiiciam, qui Lib. 5. praeterea Historiae loquitur: *Itaque ex iudicibus & nobilibus Priorem (Antonium) graulandi ergo ferè nemo, & ex supremo Magistratu vnus tantum syndicus accessit. Et inferius: Emmanuel Fonseca de fenestra magna voce clamauit: viuat, viuat Antonius, Rex Lusitaniae: quae verba cum magna alacritate à plebecula approbata fuerunt. Sic ille. Fieri autem posse Reges populorum tumultuaria conclamatione, pestiferæ consequentiae doctrina est, & ita à Christianis sensibus penitus releganda: non ergo propter exclusum Antonium debet Magnus Philippus exclusor vlla ratione culpari.*

14 Felicitatem praeterea, quam in Ioanne suo Quarto scriptor ille deprædicat, ob libertatem sibi suisque comparatam, annis sequentibus remittamus. Et illud sanè quod ex eodem positum supra iuuat in causam praesentem aduocare: *Quid enim spei reliquum Hispano, bellicosissimis nationibus terra marique in eius perniciem coniunctis? Si pro Hispano Lusitano reponamus. Sed maior ille Philippo IV. Quam hoc ridendum & ipsi etiam sua iactantibus Lusitanis? Vnus ille Hispaniae angulus, quem Alfonso Rex Henrico Comiti vt dotem Tereisiae filiae nothæ legauit, tota sit maior Hispania; cui & tot alia adiuncta regna, & nobilissimi ac validissimi Principatus. Sed parat Orientalis India: & quid illa ad vnum Peruuium occidentalium opulentissimum & nobilissimum tractum? Hinc illud apud Vatem Gallicum*

*Nam quis Iberiacis non cedat viribus hostis?*

*Immensas quis spernat opes, quas fenore tanto*

*Auriferis fundit perfossa Peruvia terris?*

Et apud Carolum Werpæum Lib. 4. raptus Manresiani S. Ignatij, quod consonat.

*Illinc auriferis opulenta Peruvia fossis*

*Inuentas male plorat opes.*

Alexander Donatus Lib. 1. Carminum Poemate 16. Pro eodem sic

*Nitidi congesta metalli*

*Pondera, torrentique solo geminantia saxa,*

*Fundit ab auriferis pretiosa Peruvia terris.*

15 Iam quod per fraudes & dolos obuennisse Portugalliam asseruisse non puduit, licet ad causam Indiarum generaliter non spectet, quia tamen ab illa alienum non est, & de Orientali pariter pronuntiat, operæ pretium fuerit, vt immanem calumniam euidenter refellamus. A dolis & fraudibus regalis profecto Philippi II. animus supra modum alienus, vni iustitiae ritu Christiano semper intentus. Nihil notius est, nihil vulgatius, quam Catholicum Regem & inuictissimum Philippum Principis nostri animum, omnibus quorumcumque seculorū Regibus preluxisse, certis sibi iustitiae metæ praefigebat, ultra quas nulla eum grata ad veniam, nulla malevolentia ad poenam intraret: amicitias potius rescinderet, consanguinitatem facilius violaret, quam aequitatem, naturam libertatis exueret, quam iustitiam. Lusitani Auctoris verba sunt, & testis planè om-

ni exceptione maioris, Patris inquam Francisci de Mendoza scriptis suis Orbe toto notissimi, in Oratione 1. quae extat Lib. 6. Viridarij, & in ortu Philippi IV. Regis nostri est habita Conimbricæ in templo Societatis, Academia, praestantissimaque ciuitatis totius frequentia conspirante. Quo fundamento iacto, quidquid de dolis & fraudibus inuidia protulerit, germanus illius est partus aestimandus. Pro quo & facit P. Ioannes de Rho Parte 2. Historiarum variarum virtutum, vbi id habet, quod quia ad Galliam spectat, opportunè cadit. Sic ergo ille Lib. 5. Cap. 1. §. 3. Philippum Hispanorum eius nomini Regem Secundum inspiciamus, sub diuurni ac felicissimi Regni finem validissimas arces, opulentissimasque vrbes, quas longo ac difficili bello de Gallis ceperat, eisdem nulla fractum clade, sed quo pax, quae totius Europae votis, & Clementis VIII. Pontificis Maximi efficacibus vrgebat officijs, facilius coalesceret, redhibentem videbimus, &c. Vbi praclarum est cernere iustitiae documentum. Qui enim iuste parta redhibet, ab acquirendo per dolos & fraudes alienissimum comprobatur.

16 Rem Gallicam etiam & quod subiiciemus, attingit. Henrico III. regnante, cum haereticis redditi fuissent potentiores, à Catholicis est Philippus Rex Catholicus regni Protector & Defensor designatus Ann. 1585. Quod quidem ille singulari moderationis exemplo noluit acceptare, etiam pro eo Pontificis, & magnorum Principum preces accessissent. Nolebat de nouo principatu sibi conquisito speciosa illa compellatione notari. Sed mortuo Rege ipius Leuero, Parlamentum Parisiense edictum edidit à Consilio status approbatum, in quo continebatur Catholicum & inuictum Hispaniarum Regem D. Philippum II. principalem esse Religionis Catholicæ Protectorem, illius Regni salutis zelatorem, de quo eiusdem praeterea gesta iam pridem, & continuata auxilia Carolo IX. & Henrico Regibus impensa, quando illi se haereticorum ac schismaticorum aduersarios ostenderunt, ex vno illo desiderio profecta, vt eo in Regno Catholica perseveraret fides, testimonium perhibebant. Tunc munus Defensoris ac Protectoris admisit, & colligationem Catholicam seruo & constanter adiunxit. De quo Auctores multi, ex quibus P. Eusebius Nieremberg in virtute coronata ad fidem, vbi de Philippo II. cuius & alia illustria exempla commemorat. Habemus ergo nihil contra iustitiae dictamina fuisse molitum, neque dolo malo aut fraude expugnationem quam piam aggressum qui oblatore etiam dominationis titulos adeo constanter recusat.

17 Quando ergo Portugalliam inuasit, non minus iustitiam, quam ferro copias immittas armavit; armatus & ipse Dei adinstar, de quo Sapient. 5. v. 19. & 20. *Induet pro thorace iustitiam; & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile aequitatem.* Quo iustitiae iure recognito statuit Henricus regnum ipsi sub quibusdam conditionibus tradere, quas recenset Ioannes Antonius Viperanus in Historia de obtentæ Portugalliae, vbi & illud speciale. *Christophorum Moram ad se accessit; ait velle se certis conditionibus regnum Philippo tradere: rogatque an jus vllum procuratorum in hac re habeat: ille jus, quod habet, profert. Sed quia inualidum videtur, aliud à Rege Philippo mitti postulat,*

quod mox missum. Sic ille: pro quo & citatus Conestaggus multa Lib. 4. Qui quanto cum scrupulo Rex Philippus eo in negotio processerit, vt jus, quod ipsi adstruebant multi, penitus inclaresceret, expendens, haec inter alia scribit: *Quam autem etiam in modo agendi conscientia sua rationem habere vellet, iam ante exquisierat de hac re sententiam Fratris Iacobi Chiauesij (de Chates) Confessoris sui Ordinis Praedicatorum, & nonnullorum aliorum ex praecipuis eiusdem Ordinis. Verum cum nondum horum iudicia ipsi satisfacerent, nec in sola Dominicanorum opinione acquiescendum esse putaret; rem cum aliorum Ordinum Monachis etiam communicaturus, misit vnum ex Ordine Minorum, qui de toto negotio omnes paulo celebriores totius Hispaniae Theologos consuleret. Quod cum ille diligenter fecisset, & quaestionem hanc non tantum Praesulibus, & publicis ac ordinarijs Theologiae Professoribus, verum etiam Iesuitis & Franciscaanis examinandam proposuisset; magno consensu omnes pronuntiarunt, cum jus Regis adeo esset manifestum & liquidum illi nihil aliud agendum restare, quam vt illud Regi Henrico, &c. Sed Henricus lentius agit, & dum cunctatur expirat.*

18 Pro eodem P. Diana Tarte 10. ad finem Tractatu de potestate ex authorandi Reges Resolut. 10. vbi Christophorum Besoldum Germanum Iurifconsultum suam in facultate doctissimum loquentem inducit, & modum à Rege Philippo in causa dictae prosecutione seruatum, qui pro typo omnibus Christianis deberet esse Principibus, exactissime proponentem. Sed omnium elegantissime Iustus Lipsius Lib. 2. de moribus & exemplis Politicis, Cap. 3. rem est istam prosecutus, qui audiatur dignissimus, vir integerrimi iudicij, & minime labe adulationis infectus, dum sic loquitur post enarratam electionem Ferdinandi Castellae Infantis in Regem Aragoniae: *Pulchra electio, & quam in manu Lusitanorum erat nuper imitari. Nam plures Regnum illud mortuo Sebastiano competebant, suis quisque titulis. Philippus Rex Hispaniarum, Alexander Parma Dux liberorum loco, Ioannes Dux Brigantiae ab uxore, Antonius notus, sed qui legitimum credit se volebat. Concurrerat & Regina Gallicae, Catharina Medices, vetusto & obsoleto titulo à Comitibus Bononiensibus repetito. Rex senex Henricus mederi futuris malis poterat, & velle videbatur; sed fortior animus deerat, & cunctantem mors occupauit. Sed & post eum quinque Gubernatores electi, & videnti iudices, tarditate aut frigore peccarunt: & quamquam promissum Philippum Regem, non ausus ei adscribere, ob populi studia dissentientis. Quom secum ferè Antonius fecerat, & plenis velis per plebeias illis vndas ferebatur. Ira factiones, dissidia, & denique arma. Quae tamen priusquam Philippus inferret (& parata habebat) pro suo ingenio leniter ac tarde agere, legationibus quam legionibus velle rem consicere: à vi quidem adeo alienus, vt cum Antonius ille, caput turbarum, eiecit ab Henrico Rege, in Castellam esset, & in Cenobio quopiam D. Benedicti, gnato Rege Philippo, latitaret; ille nec extraxit, nec reppulit, cum in illo velut torre extinguere incendium surgens posset. Simile in alio Competitore Duce Brigantiae, cuius filium captum à Mauris, in felici illo praelio, redimi per legatum suum curauit, & eundem iam in Hispania, cum essent qui in omni vi & via retinendum censerent, immo retinere; ille firmus in quietis Consilij, & iure suo mixtus, liberum dimisit. Sed neque sic, cum alij arma pararent aut ceperent, inuasit,*

aut eiecit, sed ante omnia jus suum disputari à Theologis, & Consultis eius fecit; jamque de eo certior copias promouit. In limite erat Lusitania, & omnis mora noxia: tamen iterum moratur, iterumque peritos conuocat, & per Deum & Eidem obtestatur, liberis uocibus sensibusque edicerent eequid juris sui esset: hoc non cupere se modo, sed jubere. Omnes uno ore jus affirmarunt. Tunc demum Ferdinandus Dux Alba inuasit, & septuaginta dierum spatio Lusitaniam totam subiecit, uno praelio Antonio, qui Regem se ferebat, pulso. Si tamen praelium dixerim, veterani exercitus cum semiarum & urbana turba congressionem. An nos paulo minus quingentos uulsa Lusitania fuerat à reliquo suo corpore: redijt, ut retuli, sed cum admiratione aliquorum, qui attendent in re tam opportuna, uili, facili, uincitorem Philippum sic fuisse. Imitentur Reges, nec temere ambitio ad arma impellat. Hæc Lipsius ad obturandum os Maritimi illius, & aliorum eiusdem farinae hominum loquentium iniqua.

19. Nec prætereundum extat Lib. 1. Cap. 5. ubi singularem diuinæ Prouidentiae dispositionem in successione istâ perpendit, & post alia sic concludit: *Viginti duo erant, qui Philippum Regem antebant, & successione legitime arcebant. Et tamen quod Fata uocabant uenit & successit. Præmortui omnes illi sunt. Quid? Nisi unum facerent Hispaniae totius caput. Magnus fauor Numinis, nec semel in hac gente (Austriam dico) se ostendit, quæ per hereditates, & aduentitia incrementa serè creuit. Sic ille, qui Fati nomine quid intelligat, sic Christianè exponit initio Capitis: At tu, qui Deum, & Religionem colis, etiam Fatum, id est Prouidentiam, decretaque diuinum, &c.*

Longè ergo à Christiano illo pectore fuit, quod apud Lucanum legitur Lib. 1. de Caesaris bello contra Romanam Rempublicam loquentem:

*Mensuraque juris*

*Vis erat.*

Non tale illud:

*Iustos Fortuna laborat*

*Esse Ducis motus, & causas inuenit armis.*

Sed non tales profecto causas, ut in casu nostro, unde Magnus Philippus armis possessionem moliens, & in ipsis regni portis, Pace-Iulia, constitutus, cum ibidem ob superuenientem morbum in præsentissimum uitæ periculum incidisset, & desperata illius uita communiter haberetur, nullo circa expugnationem scrupulo hæsit, aut ab ipsa abstinendum iudicauit. Et tamen erat ille conscientiae suæ obseruantissimus cultor & custos: id, quod in eo maximè credendum articulo, cum Regis regum, & Domini dominantium tremendo se Tribunali sistendum uerebatur, ubi de regno caelorum uerebatur quæstio, quod ob terrenum relinquendum alijs, amittere uelle, aut aperto amittendi se exposuisse periculo, ingentis quidem imprudentiae, immò & infaniae esset; unde à prudentissimo, non humana & Politicâ tantum, sed Christiana etiam prudentia eximio Philippo penitus alienum.

20. Jam quid ad hæc scriptor ille? Dolendum sanè in libris exaratas calumnias sine spe restitutionis excurrere, ut hinc scribentes modum in dicendo perdiscant, præsertim cum in viros magnos calamus stringitur, omni quandoque gladio pernicior. Sed in clyti illius Monarchæ

adedo celebris gloria est, ut sperare liceat nebulosum dicteria uitanti luminis opprimenda: sicut & quod Lib. 2. Cap. 7. ab eodem scriptum non sine iniuria ueritatis: sic enim ibi: *Flauiobrigæ muri tormentis nostris dissecti, nemine propugnante, solitarij iacebant: non audacia militi nostro deerat, sed obsequium & concordia. Hinc hosti animus redijt, nobis metus: quod momento quasueramus, momento amissimus, mutataque fortuna uicti, qui modo victores eramus.* Sic ille, qui Flauiobrigam uocat, quæ uulgo *Fuencerrabia*, & Latine scribentibus *Fon-tirrabia*, *Fonterrabria*, *Fonarrabia*, *Fons-Rabia*, *Fons-Rabidus*, & *Fons-rapidus*. Quam & Lib. 1. Cap. 32. num. 94. uocari ait *Phlasiobrigam*. Et in numero respondente in fine Capitis, ubi uulgaria Portuum Hispaniæ nomina congerit, *Rhabidam* uocat. Sed Flauiobrigam, de qua Plinius Lib. 4. Cap. 20. Alij de Flauiobriga aliter, de qua, & de Bilbaudibus Arnaldus Oihenartus in *Notitia Vasconie* Lib. 1. Cap. 8. ubi & Coloniam nouem ciuitatum affirmat, à *Fonterrabria* diuersam diligentiores rerum Hispanicarum testantur scriptores, & Bilbaum esse, nobilissimum Cantabrigæ totius emporium, uideri apud Philippum Clauerium potest Lib. 2. Introductionis Geographicæ Cap. 3. cui multum me debere natura uoluit inde patre destituito. Ad rem iam.

21. Quod muri dissecti tormentis Gallicis, uerissimum sanè; neminem autem propugnante extitisse, falsissimum. Sic enim strenuè & fortiter à ciuibus actum, ut propugnatio diuturna antiquam Numantiam & Saguntum Gallorum oculis præsentarint: donec Hispano superueniente exercitu soluta est obsidio, & de hostibus, numero, equitatu, ac tormentis & propugnaculis superioribus, memoranda sæculis omnibus uictoria reportata. Et posset merito Poëtarum aliquis *Fonem Rabiam Triumphantem* Leucata Triumphantem opponere, in quo amærioris Poëmatis argumentum. Sed sunt Hispani agendorum quam dicendorum artifices meliores. Et quidem quod uersibus non celebratum adhuc (ni fallor) exactissimâ tamen est narratione uulgatum, successibus omnibus per dies singulos adnotatis, uulgari prius sermone, & Latino deinde, eoque pereleganti à P. Iosepho Morete ex nostra Societate, hostibus, ubi illa digni, ingenuè exhibita laudatione. Quod de obsequio & concordia in Gallico desideratis milite, unde animus Hispanis redditus, metus illis, ex quo uictoriae felicitas, si solatio eorum prætenditur, sic ut uelint, numquam enim in talibus exculatio deesse solet. Illud certum de tali obsequio & concordia defectu nihil Hispanis innotuisse militibus, & in concordem ac obsequentes exercitum pro soluenda obsidione formatum pariter irrupturum: sicut & in obsidione Ilerdæ, Tarraconis, & alijs accidit, in quibus uictoriae nequeunt similibus defectibus obscurari. Nec nouum illud, cum jam pridem ita scripserit Lucius Marinæ Siculus Lib. 3. de rebus Hispaniæ circa initium: *Fons-Rabia Gallis obstaculum & pernicies.* Ut non sit opus antiquius illud exemplum produxisse, cum capta & incensa à Gallis Roma, Camillus aciem in semirutæ urbis solo instruit, primoque concursu haud maiore momento Galli sustulit, quam ad Albiam uicerant. Quid post fugam redinte-

redintegrato bello? *Ibi cades omnia obtinuit, castra capiuntur, & ne minus quidem clades relicta.* Sic ex Litiio, Plutarcho, & Floro P. Sallianus Tomo 5. Ann. 3665. num. 5. Quia uero in obsidione prædictâ nobilis uir Didacus Butronius, qui ex Peruuio in Patriam redierat diues, & pro auertendo ex muralibus cuniculis damno probè instructus, dum pretiosis metallis eruentis incubuit, Prætorum militarem agens exercitum contulit industriâ, manu, constantia, largitate, ac moderatione momentum; quod de illâ à nobis dictum non debet penitus extraneum à consideratione Indiæ æstimari. Hinc exportati octodecim illi octi-regales, quos ille defecturiente plumbo in pilas archabustariis obulit, daturus sanè, nisi Deus eâ liberalitate, & in Regem ac Patriam fide contentus, melius aliquid, opportune nostro superueniente exercitu, prouidisset.

23. Claudendum narratione alia, quæ & ad Indias Occidentales spectat, & ab Scriptore præfato, fide solita, eisdem Libro & Capite continetur, ubi de Marchione Bressero uiginti & ueni nauibus Præfecto scribit quod cum intellexisset Hispaniam classem 36. nauigiorum, inter quæ Galiones Regij duodecim, in Occidentalem Indiam bella facturam, medio Gadix in portu tempestatem sustinere: quamuis impari numero, egredientem tamen, & altum capefferentem aggressus, ipse Prætoriam hostium nauim fundo merse, Galiones quatuor per lembos incendiarios combussit, obscuraque in nocte secutus ignes, quos ut tota classis uideret, & succurreretur mutuis nauibus, fugientes excitauerant, cum caducas naues absorberet mare, &c. Reliquæ classis Hispaniæ, malis, uelisque, & gubernaculis amissis, militibus uero M D ferro, fluctibus, igne consumptis, in portum, unde soluerant, sese receperunt, & nunc omnia nauigandi in Indiam Occidentalem deliberatione, salui uota superis soluant, quibus se inter pericula obstrinxerant. Hæc illa, Gallica humanitate & ueritate subiuncta, iis in naues eorum receptis, qui uictis Hispaniis, cum manifeste uitæ periculo fluctuabant, in quibus à ueritatis portu pluriimum constabat aberratum.

24. Res sic habuit. Naues erant triginta Gallicæ, & sex insuper incendiariæ. Hispaniæ omnes 26. ex quibus Galiones decem, duæ minores præcurforiæ, reliquæ onerariæ, cum duobus præfidiariis. Pugnatum est uento à Gallis præcepto. Galio Regius, in quo Marchio de Cardenosa Præfectus, iniecto igne disperit, & cum eo Marchio ipse, sacerdoti & Societate ipsis in fluctibus pariter anhelanti peccata confessus, qui ad portum feliciter enatauit. Et ea sola nauis, non quatuor, ut in narratione, combusta. Quid si & totidem fuissent? an multum inde, unde possit fortitudo Gallica gloriari? Prætoriam incendiaria nauis (non lembus) applicita, ferreo prora iniecto retinaculo, cum septem illam aduersaria circumdedissent, quæ ad pugandum cominus, ferreis innexæ manibus, inuitatæ, nequam annuerunt. Et conflagrare quidem Prætoriam cepit, fatali sicut alia, de qua diximus, incendio peritura, nisi Deus peculiari prouidentia, ob quatuordecim Sanctorum Martyrum preces, quorum corpora Romanis ex Cæmeteriis extracta legitima auctoritate à Patribus Societatis in Peruuium deferebantur, & in templo D. Pauli Limensis Urbis, ubi hæc scribo, pretiosis sunt

theis & loculis collocata, ignem grassantem dimouisset. Globus enim tormentarius ex quadam Gallica displotus nauis retinaculum incendiariæ dirupit, inter illam & Prætoriam euolans, hamato frusto in Prætoriam prora relicto: & ita incendiaria ad eam distantiam, Numine fauente, disclusa, ut nocere amplius non posset, unde & locus datus restinguendo igni, & cum hostibus tormentorum displotione; dum aliter reuenerent, præliandi.

25. Falsum ergo est Prætoriam fundo merfam; in qua uir præclarus & strenuus D. Hieronymus de Rojas y Sandoual Generalem Ducent agebat. Et de Gallica classe jam ille ante egressum certior factus, uespere diei pugnae proximi, cum à nautico speculatore sex fuissent naues ad horizontem peruisse, cras, inquit, plures erunt, certum numerum exprimens, quem probè nouerat, & poterat tunc securè portum repetere, sed indignum duxit Hispanicâ fortitudine certamen, licet non paribus armamentis, detractare. De insurrectione fugientium nauium accensis ignibus, & caducis à mari abortis quod dicitur, inter fabulamenta numerandum; quia neque absorta illa & uia tantum ex præcurforiis, quas *Pataches* nostri dicunt, & aliqui benè Latini *Celoces*, licet remis careant, quibus olim instructa in uadum Hispanici littoris, cui ab arenis crallis nomen, impedit. Et quidem si inseluti fugientem, quomodo non assecuti, & circa portum albescente die prælium instauratum? Numerus amissorum militum à quo potuit cæca illa in nocte ita exactè computari? Ex Galione Marchionis Cardenosa euasere quamplures, ex alijs desiderari non multi poterunt, cum ad conferendas manus non fuerit deuentum. Ex Prætoriam fuere triginta, ab aduersarijs septem, ut diximus, impetita, & ex omnibus ad quadringentos. Omissam nauigandi deliberationem non fuisse, ipsa post duos menses repetita nauigatio demonstrat. Quod autem inter pericula obstrinxerant, quis accuset, quandoquidem leuia non fuere pericula, non iam cum hominibus, etiam hinc etiam illa, sed cum igneis monstrosis præliariis?

### Circa Caput II. in fine.

26. Videantur quæ ex Thoma Bozio posita num. 19. de parum felicibus expeditionibus Gallorum & Britannorum circa Indias, eod quod sine Pontificis auspiciis. Ut nonnullorum Hispanorum excessus nimis quantum ab exteris scriptoribus proclamari, de quibus ibidem; non debeant ut noui & insoliti, & uelut argumentum inuitæ occupationis assumi, uideant Galli quid ab ipsis in Belgio actum, dum iustam inuasionem, suis obsecuti ductoribus, arbitrantur.

*Templa antiqua ruunt veterum decora alta parentis, Virgibus non ipse pudor, non matribus ætas Præfuit. Hæc Terras fugiens natura reliquit.*

Sic Ortho Zilius in Cameraco ab obsidione liberato. Quid apud Fonterrabiam, ubi Sacellum Virginis in stabulum uersum, citare narrationes exhibent. Ut de Testimontio taceamus, in quo sacri